

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XC.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## LXXXIX.

**S** Cum nactus essem idoneum hominem, qui meas ad te perferret literas, Reverende vir, Domine, in Christo frater honorande, facere non potui, quin aliquid ad te scriberem. Intelligo enim nonnullas esse interceptas, nec redditas, cum aliquoties scripserim, & conjugii tuæ, matronæ honestissimæ, strenam miserim pro more. Dederunt tum per eundem nebulonem, qui pecuniam interceptit, literas & T. R. filii, quas etiam non redditas mihi significarunt. Scripsi etiam meum iudicium de libro ad me transmissò, quem de Miraculis ædidisti, ac gratias egi, sed hæc fortassè sunt redditæ. Non ita pridem dedi literas ad T. Humanitatem de solutione pecuniæ, quam tibi pro victu debeo, nomine filii mei, nun accepisti, ignoro. Quæ si enim ex tuis filiis, an aliquid ea de re ad ipsos perscripseris, sed negaverunt se quicquam in hæc sententiam à te accepisse. Hæc autem mea fuit, & est etiamnum sententia, cum tanta sit multorum hominum perfidia, ut pecunia paucis tuto credi possit, & tibi huc mittenda sit pecunia in usus filiorum, ego hic numerare illis paratus sum, quantum tibi debeo pro anno hoc, quo tecum vixit Petrus meus, modo sciam, quantum sit solvendum. Nos hic DEI beneficio recte valemus, sed & Tubingæ pestis omnino non modo sævire, sed & serpere cessavit, ita ut propediem Tubingam, Deo volente, simus redituri. Dedi ac proposui filio tuo, M. Erasmo, themata Disputationis de Gratia, quam opposui Disputationi Ingolstadiensium, anno præterito de eadem materia habitæ, in qua veteres & usitatos errores mordicus retinent, & defendunt, quos refutavi, & ad argumenta eorum respondeo. Et quia copiosior est materia, ut se preparare possit, differri petit usque post Pascha. In eam itaque aliam proposui de Catholica, cujus exemplaria hic mitto Dominis Pastoribus, Collegis, communicanda. De Illyrico nihil jam aliquandiu audivimus. Fama spargitur hic & Tubingæ, ubi hæc septimana fui, plurimos apud vos dolore capitis laborare, & ex morbo illo perire, quæ num vera sit, scire cuperem. Spero autem vanam esse, sicut fama malum, &c. His te cum tuis omnibus DEO Opt. Max. commendo, qui vos clementer conservet ad sui nominis gloriam illustrandam & Ecclesiæ ædificationem. Kedricius à suo Principe in vincula conjectus perhibetur, quæ causa sit, ignoro. Datæ Esslingæ, 3. calend. April. A. O. 72.

Salutem ex me dices uxori tuæ.

T. Jacobus Heerbrand, D.

XC.

**S** In eo, qui unica est salus & redemptio nostra. Quas tu ad me, Clarissime D. D. Domine & frater colende, Nonis Febr. ex Argentorato ex-

F f f

ara-

arasti, easesq̄ 6. Calend. Martii per typographum D. Rihelium accepi. Et gratulor tibi omnium primo liberationem à crudelissimo hoste tuo, quem si possem ad extremos usque Garamantas profligare, ne tibi amplius molestus esset, certè nec sumptibus nec viribus parcerem. Gaudeo etiam mihi plurimum, Præfationem meam Inlyto Magistratui vestro inscriptam, tibi & D. Flinnero placuisse. Agoque reverenter & officiose gratias, quod operam vestram mihi & gratissimam & hac in parte cumprimis necessariam, in offerendo aliquando & commendando Secundo Tomo mei Martyrologii, tam amicè & fraterne offeris. Cumque hoc tempore nihil habeam, quo hoc gratissimum mihi officium, aliqua ex parte compensare queam, scripsi D. Rihelio, ut meo nomine utrique vestrum, exemplar unum hujus secundi Tomi gratitudinis ergo, dono mittat. Exemplar autem non ligatum, priusquam fuerit absolutum, proprio tabellario mittam. Literas etiam ad Scholarchas nostros scriptas, iisdem tuo nomine obtuli, sed impediti & multitudine & gravitate negotiorum, eas ad hunc usque diem non resignarunt. Resignabunt autem propediem, cum fuerint simul collecti, & dubio procul amicè tibi respondebunt.

Cæterum quam necessarij essent conventus pii, præcipuorum in Ecclesia doctorum, variis de causis, vel Ethnicus hac parte mia fati ostendit, cum inquit, *Ἀποστολὴ πολλὰς φιλίας εἰλόουσι*. Et quod ipse de Amicitiiis, hoc certè ego, non sine magno dolore, de Ecclesiis nostris affirmare ausim. Sed quoniam modo huic malo commodum remedium quæri & adhiberi possit, mallem tecum coram conferre. Illyricum vel tandem talem factum, qualem ego semper somniavi, & propter Ecclesiam, & propter personas vestras, quas amo, colo & veneror, illibenter audivi. Interea tamen gratias ago DEO, qui fraudes hujus Gryllirici (sic enim eum jam appellat D. Flinnerus) detexit. Audivi quædam de hac ipsa concertatione inter vos orta, à quodam magno viro, tum temporis in urbe nostra ad conventum Suevicum legato: qui mihi & Dn. D. Bartholomæo, nec non aliquibus ex collegis meis, legit scriptum vestrum, pro vestra excusatione contra Illyricum, doctè & masculè compositum. An autem hic partim ingratus, partim inquietiss. hospes, adhuc in urbe vestra hæreat, cupio ex te cognoscere.

Misi etiam ante dies 14. literas D. Rihelio, per postam (ut dicitur) quibus adjunctæ erant eæ, quas uxor D. Egenolphi Neidhardi ad uxorem tuam (quam meo & meæ nomine salutabis amanter) exaravit: Eas autem an acceperit, cum adhuc ignorem, cupio ex te cognoscere.

Præsentium denique latorem, vir ornatissimè, Casparum Eberum, Benfeldensem, famulum meum, & liberorum meorum ad annos duos cum Dimidio Pædagogum fidelissimum, T. Reverentiæ, quantum fieri potest ma-

ximè commendo. De cujus moribus aliud nil dicam, nisi, si per DEI gratiam talis, qualem sese in Schola & familia nostra exhibuit, permanferit, nec vos eum recepisse, nec me ipsum commendasse, unquam pœnitere posse. Scripsi & aliqua in hujus commendationem ad D. Flinnerum, qui dubio procul tibi ea perlegenda exhibebit. Benè & feliciter vale. Vir clarissime, Domine, amice & frater colendissime. Raptim Ulmæ, 2. Martii, Anno 72.

R. I.

*addictissimus*

Rabus, D.

## XCI.

*Salutem in Christo Jesu.*

**I**N summis meis occupationibus, hoc tamen ad te scribo. Electorem Saxonix ad Dn. Julium Ducem Brunsvicensem dedisse literas, quibus petit, si quid ipsius & inferioris Saxonix Theologi habeant, quod desiderent in Dresdensi confessione edita, ne id publico scripto proponant, sed privatis literis ad ejus Ecclesias datis expectant, suam Cels. curaturum, ut hæc controversia piè componatur. Conscripserunt ergo consilio Ducis Julii, non modo Brunsvicenses, sed etiam inferioris Saxonix Theologi commune scriptum, in quo ejusmodi quæstiones proponunt Wittembergensibus, si categoricè respondent ad eas Wittembergenses, futurum est, ut sese aut Lutheranos aut Cinglianos seu Calvinianos declarent. Id ad te misissem, nisi intempestiva festinatio nuncii impedivisset, mihi sane per omnia probatur. Atque etiam extorqueri posset Wittembergensibus categoricum responsum, quale Elector exigit; Petit autem imo postulat, Confessionem LUTHERANAM, non cothurnum Calvinianum. Sie müssen auß der Hülfe/ & sese non amplius tegere poterunt. Id quale futurum sit, tempus declarabit, & cum accepero, curabo, ut & tu habeas. Doleo autem, turbulentum hominem Illyricum tibi tantum molestiarum exhibere, cujus petulantia & improbitas nisi reprimitur, plus malorum Ecclesix dabit, quam hactenus dedit. De meo adventu tibi nuper spem aliquam feci, qui sese ultra Paschatis festivitatem extrahet. Nollem autem id palam esse omnibus, quod insidiis non caream, quæ mihi passim ab hostibus veritatis parantur. Nec mihi crudelēs Papistæ tantum sunt metuendi, sed hypocritæ Calviniani, quos habituri sumus non minus crudelēs, si obtinerint. Ego quidem paratus sum mori, quando Domino

F f f 2

visum